

ta, & in sacerdotum eleemosynis, pauperum refectione, captivorum redemptione, & Ecclesiarum reparationibus per Ecclesie scita fuerunt expendenda. Iuxta ubi nunc splendida visitur ædificiorum corona, floruit opulenta Carthusianorum ædes à Gualtero *Manly* Hannonio, qui summa cum laude sub Edwardo III bello Gallico meruit, posita, celeberrimumque fuit eo loco antea cœmeterium, in quo grassante peste anno MCCCXLIX Londini sepulta fuerunt plusquam quinquaginta hominum millia, quod inscriptione ibi in ære posteris fuit testatum.

Ad Circium magna itidem subsunt Londino suburbia, speculaque fuit olim, five militaris prætentura, unde loco nomen ex Arabico vocabulo *Barbacam*, cessitque dono Edwardi III in sedem *Vffordorum*, à quibus per *Villoughbeios* ad Peregrinum *Bertey*, Dominum *Villoughby* de *Eresby*, virum omnibus modis generosissimum & verum Martis alumnum devenit. Nec minora ad Aquilonem, & Subsolanum procurrunt suburbia, in quorum campis dum hæc scriberemus, eruta sunt multa vasa sepulchralia, sigilla, & urnæ, in quibus Claudii, Neronis, Vespasiani, &c. nummuli. Phialæ etiam vitreæ, vascula fictilia, in quibus liquidum supererat, quod vellibamentum ex vino & lacte existimarem, quo in cremandis corporibus usi sunt prisca Romani, vel odoriferos illos liquores, quorum Statius meminit:

Videque liquores  
Arsuram lavere comam.

Hunc locum cremandis, condendisque corporibus destinarunt Romani, qui ex lege XII Tabularum cadavera ex urbibus efferebant, & iuxta vias publicas, & militares sepeliebant. Hæc qua urbs terram spectat.

Qua vero flumen labitur, ad ripam ejus australem amplum illum *Burgum de Southworke*, cuius meminimus, ponte etiam conjunxerunt cives, primum sublicio eo loco quo antea in trahendo, pontone, pro ponte utebantur. Postea, regnante Ioanne, è vivo saxo opere admirando novum pontem XIX fornicibus præter versatilem illum suspenderunt, elegantissimisque ædificiis ad instar plateæ ita continuarunt, ut inter Europæ pontes facile primas & magnitudine, & elegantia ferat.

In hoc *Burgo de Southworke*, quæ memoria digna, extiterunt nobile cœnobium monachorum instituti Benedictinorum *Bermondsey* dictum Salvatore nostro ab Aldwino *Child*, five Londinensi olim sacratum, & ædes magnificæ à Carolo Brandono Suffolciæ Duce, ædificatæ, quæ breves Domino deliciæ, paulo post dirutæ. Extant adhuc Hospitale S. Thomæ ad infirmos alendos à civitate Londini restauratum, imo fundatum, Ecclesia Prioratus Beatæ Mariæ quia trans Tamisum fl. ratione urbis Londini S. *Maria Over Rbe* appellata, à Guilielmo *Ponte del Arche* Normanno Canonicis posita, ædes Episcoporum Wintoniensium à Guilielmo *Giffard* Episcopo circa annum CIOCVII successoribus extructæ. A qua secundum Tamisum ripam continua in Occasum domorum series procurrat, ubi patrum memoria fuerunt Lupanaria, sic enim Latini meretri-

cum cellulas, in quibus earum turpitudine venalis prostituta fuit, appellant: quia illa ut lupæ sua rapacitate, ad se miseros raperent. Verum hæc interdicta fuerunt ab Henrico Octavo, quo tempore libidine & luxuria Anglia maxime laboravit, quæ apud alias gentes quæstus gratia sub specioso prætextu ut humanæ infirmitati confuleretur, passim exercentur. Nec ab his prostibulis locum hunc *The Stewes* nostra lingua vocatum opinor, sed à vivariis quæ hic sunt ad saginandos Lucios & Tincas, & ab olido palustri- que nidore purgandos instituta. Luciorum ventres hic cultro apertos vidimus ad pinguedinem ostentandam, coeuntque protinus patentia vulnera tincarum contactu, & earum glutinosa illuvie solidantur. Inter hæc locus est instar theatri ad urfos & tauros à canibus agitandos, & canum catenariorum dispositæ cavæ, quibus tanta vis & pertinax mordacitas, ut tres ursum, quatuor leonem comprehendant, & vere ille olim cecinerit de nostris canibus, *Taurorum fracturi colla Britannii*. Ut ille, qui dixerit *Arcadicis* (qui ex leonibus, procreati creduntur) esse acriores.

Quo tempore Burgus hic Londino ponte ita conjunctus, non solum amplificata urbs erat, sed etiam optima Reipub. forma descripta, cives in corpora, five Collegia distributi. Urbs ipsa in XXVI regiones divisa, conciliumque Reipub. penes totidem senes constitutum, qui ex ætate, nostra lingua *Aldermen*, id est, *Senatores* dicuntur, quorum singuli singulis regionibus præessent, & cum antiquitus pro summo magistratu *Portreue*, id est *Urbs Præfectum* habuissent, duos *Ballivos* instituit Richardus Primus, pro quibus statim Ioannes Rex concessit, ut *Majorem* five Prætozem annum magistratum suis suffragiis è XII primariis corporibus eligerent, duosque Vicecomites, *Shirifs* vocant, quorum alter *Regius*, *Urbanus* alter dicitur, nominarent.

Hac reipub. forma constituta, incredibile est quantum publicis, privatisque operibus crevit, crescitque (reliquis Angliæ urbibus decrescen- tibus.) Nam, ut taceam domum Senatoriam *Guildhall* à Tho. *Knowles* Prætoze pulcherrime constructam, *Leadenhall* amplum & nitidum opus à Simone *Eire* excitatum, ut publicum esset horreum ad annonam laxandam. Peristylum five Ianum medium, *Bursam* vulgus, Regina *Elizabetha Excambium Regium* dixit, ad negotiatorum usum, & urbis ornamentum à Thoma *Gresham* cive equestris ordinis positum; magnificum illud quidem, five ædificii structuram, five gentium frequentiam, five mercium copiam spectes. Qui etiam summus doctrinæ admirator ædes quas habuit in urbe spatiosissimas bonis studiis consecravit, institutis ibidem bonarum literarum sex professoribus, vz. Theologiæ, Iurisprudentiæ, Medicinæ, Astronomiæ, Geometriæ, & Musicæ cum liberalibus salariis, ut Londinum esset non tam mercium omnigenum, quam artium optimarum instructissima officina. Ut *Hanseaticæ* societatis domum omittam, & aquas subterraneis cuniculis, & syphonibus in omnes urbis regiones corrivas, illisque recipiendis elegantissima castella, novum etiam aquæductum, quo Petri Mauriti Hydragogi Germani

Stewes.

Band-dogs  
or Masti-  
ves.Civium  
Collegia.  
Tribus.  
Wardes.Major, si-  
ve Præ-  
tor.1411.  
1445.  
Buria  
1567.  
Royall Ex-  
change.Gresham-  
mes Col-  
ledge.Charter-  
house.Barbacan.  
Galeottus  
Martius.

Pons.

Vide de  
Southwork  
pag. 171.  
in Suthrey.S. Sa-  
viour.  
Suffolk-  
house S.  
Thomas  
Hospital.